

**www.e-rara.ch**

**Grammatica religiosa, quae pie docet declinare a malo, & facere bonum  
amplecti perfectum in praesenti, & respuere imperfectum, ad  
obtinendum futurum infinitum, cum participio salutis**

**Abraham**

**Salisburgi, anno 1699**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25261>

Sermo de gravitate peccati.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



# S E R M O

DE

## Gravitate Peccati.

*Tanquam à conspectu serpentis fuge peccatum : nam si accesserit , mor debita.*  
 Eccl. 21, v. 2.

1. **C**Um brevitati studeamus, idèd motiva tantùm, relictis aliis, cur nempe peccatum sit tanquam à conspectu serpentis fugiendum, in medium asferre lubet, quia sic etiam ejus malitia & gravitas satis abundeque patebit. Declinandum itaque est peccatum mortale. 1. Quia est gravissima offensa Dei: ut colligi potest ex triplici capite. 2. Ex eo, quod Deo cultum debitum, & idolatriam inducat, de qua Isaias dixit: Repleta est terra Idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Nam ut rectè S. Hieronymus discurret, ridiculum est, quod aliquis judicetur Idololatra, qui duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit Deo offerre; & ille non judicetur Idololatra, qui totum servitium vitæ, quod Deo debuit offerre, offert creaturæ. Imo ut S. Bernardus ait, in ipsum defavit Authorem, & quantum in ipso est, Deum perimit. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergò eum non esse Deum, quia, quantum in ipso est, vult eum esse aut impotentem, aut injustum, aut insipientem. Et quæ hæc malitia? 2. Quod peccatum sit omnino offensa Dei gravissima constat ex eo; quod Deus fecit in vindicta peccati; Nam teste sancto Bonaventura, nihil posset cogitari mali, quin Deus fecerit propter odium peccati; ipse enim propter peccatum semel dissipavit serè omnia opera sua, scilicet totum mundum per diluvium. Alii Reges & Potentes in præjudicium, odiumque suorum inimicorum, depopulantur terras eorum, Deus autem dissipavit terram propriam, quia peccatum intraverat terram suam. Alii homines propter vinum corruptum non projiciunt in mare vasa aurea, vel argentea, sed servant vasa, & vinum effundunt: Deus autem non solum peccatum, sed etiam vasa peccati, id est creaturas rationales ad imaginem suam factas, & suo pretioso sanguine redemptas in odium peccati projecit in oceano infernali. Quid etiam primos Parentes nostros Paradiso ejecit? quid originali gratiâ eos privavit? & quid aliud omnes eorum posteros in eandem miseriam traxit? nonne peccatum; per quod mors in hunc mundum intravit causa, quod Dominus, qui alias Pater misericordiarum audit; pluerit super So-

C. 1. v. 8.  
 In Epist. ad  
 Rustic.

Serm. 3. de  
 Resurr.

Gen. 3.

Rom. 5.

Gen. 19.

Rom. 7.  
Gen. 19.

& Gomorrhæ sulphur & ignem, & subvertent civitates has, & omnia circa regionem, & universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia? peccatū hoc fecit.

4. Reg. 6.

2. Peccatum Angelos in dæmones convertit, eosque cælo eiecit, ac semperternis ignibus addixit. Peccatum Pharaonem & totum ejus exercitum in mare demersit. Peccatum est causa famis, quæ Dodā Syriæ Rege Joran in Judæa obsidente ita invaluit, ut Matres inediā adactæ filios necaverint, & voraverint.

Thomas  
Kemp. l. 3.  
c. 4 §. 3.

Item tanta erat annonæ caritas, ut caput asini vendicaretur octoginta argenteis, & quarta pars cabistercoris columbarum quinque argenteis. Sed quid moror in specificandis peccatis pœnis singularibus? Uno verbo, ut Sanctus Chrysostomus testatur, malorum omnium causa est peccatum. Ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes, quotquot nos premunt, passiones.

Coll. 6. c. 3.

Merito hinc monet pius Asceta: Nihil sic timeas, sic vituperes & fugias, sicut vitia & peccata tua, quæ magis displicere debent, quàm quælibet rerum damna. Et non immerito, quia omnia damna temporalium rerum, omnes pressuræ & morbi, pestilentia, bella, & id genus adversa, si cum peccato comparantur, cessant esse mala. Unde Abbas Theodorus apud Cassianum ait: In rebus humanis nihil malum est dicendum, nisi peccatum solum, quod à bono Deo nos separans, mala facit diabolo comparari. Cui astipulatur os aureum Chrysostomi, dicentis:

De vera &  
fal. pœnit.  
c. 5.

Una duntaxat res gravis ac pertimescenda est, peccatum nempe, reliqua verò omnia sunt mea mera fabula. Tertia ratio, quare peccatum sit offensa Dei gravissima, sumitur ex eo, quod ordinavit, ut pœnitentia peccatoribus pœnitentibus semper valeat; nam ut rectè S. P. Augustinus colligit, constat ei peccata multum displicere, qui semper præstò est, ea per pœnitentiam destruere. Si enim ea amaret, non ita semper destrueret. Sed semper destruit peccata, quæ invenit, ne solvatur, quod creavit, ne corrumpatur, quod amavit.

Ser. 1. in  
nat. Dom.

3. Secundum motivum, quare peccatum sit declinandum, est, quia etiam ipse Filius Christi est gravissima offensa: id, quod præclare S. Bernardus ostendit, dicens: Ex consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem. Nesci bam, & ecce mittitur Virginis Filius, Filius Altissimi Dei, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus secundum Divinæ Sapientiæ ordinem necesse est, Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Ita Bernar. Est ergò peccatum causa mortis ipsius Dei Filii. Videamus ergò nunc, quantæ sit malitiæ peccatum grave admittere: siquidem, qui peccat denuò, crucifigi Salvatorem suum, & quanta hæc injuria Christo illata! ô quanta ingratitude! Non enim, teste S. P. Augustino, minù peccat, qui Christum offendit regnantem in cælis, quàm qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. Christus ipse hoc testatur, qui S. Birgittæ cruciatus Salvatoris recogitanti sese objecit, undique sanguine purpuratus, eâ omnino specie, quâ olim Crucifixus miserabiliter viscebatur, cum

Surius in  
vita.

hise verbis: Intuere vulnera mea. Ad quod tragicum spectaculum illachrymans pia Matrona: Heu! inquit, mi Domine, unde tibi modo hæc vulnera? Cui ille: Ita me etiamnum vulnerant charitatis meæ contemptores. Et hoc est, quod Apostolus ingemiscens pronuntiat. *Qui prolapsi denuò sunt in peccata, crucifigentes sibi metipsos Filium Dei, & ostentati, ac contemptui habentes.* Hinc meritò S. Bonaventura dicit: Apparebit Dominus Deus cum vulneribus suis, & clamabit, dicens: Videtis quanta à vobis, in vobis, & pro vobis passus sum: & tamen ingrati omnia contempistis, & pro nihilo duxistis; Ite maledicti in ignem æternum.

Heb. d.  
v. 6.  
Par. 1. stim.  
c. 1.

4. Fugendum est peccatum, quia turpissimæ servituti animum subjicit. Nam teste S. Ambrosio, qui fecit peccatum, servus est peccati, & quod pejus est, multorum servus, qui subjectus est vitis, multis se Dominis addixit; ut exire ei vix liceat. Et juxta S. Chrysostomum, barbarum est peccatum, tyrannidem exercens in animam seu nel captam, sed in perniciem eorum, qui ipsum suscipiunt. Imo ipse etiam diaboli servituti subjicitur, ut rectè S. P. Augustinus dixit: Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis; si ergò Esau stultum judicamus, dum pro vili esca primogenituram vendidit, quanto magis insipientem censebimus hominem, qui pro vilissima voluptate non jus duntaxat suum, sed seipsum vendit? Lyfimachus Thraciæ Rex coactus ob ingentem sitim, aqua scypho se Regnumque suum hostibus tradere, epotâ aquâ exclamâsse dicitur: Deus immortalis! Quæ hæc mea infelicitas; qui me, totumque Regnum meum tanullo corporis oblectamento vendidi. Quod ipsum tantò veriùs & majori cum dolore dicere potest peccator, quanto præstantius est regnum, quod pro vilissima voluptate vendidit, & quando se crudelioribus hostibus tradidit ac mancipavit. S. Simeon Stylita Edessenus solitus erat videre homines Angelis stipatos, sed non eodem modo; nam in gratia constitutis ponè astabant, & tanquam fidi viarum Duces lætabundi facem prælacebant: mortali verò peccato obstrictos, circumstantium dæmonum constrictos vinculis, eminus sequebantur illachrymantes. O igitur miseram animam! quæ per peccatum mortale se tam atrocium hostium servituti addixit.

L. 2. de Jacob. c. 3.  
Hom. 9. in 2. ep. ad Cor.  
In Expof. ep. ad Rom

Plutarch. in apoph. Regum.

Raderus in virid. sanct. p. 2. c. 5.

5. Fugendum est peccatum, quia turpissimam animæ maculam affert: si enim tantò turpior est macula, quanto pretiosior est, & pulchrior res maculata, quid animam pretiosius? nihil ergò peccato fordiosius, ait rectè S. Chrysostomus. Agnovit hoc ipsum Democles puer formosus, hinc cum lavandi corporis causa balneum fuisset ingressus, ideoque Rex Demetrius advertisset, eum mox secutus, cum eo abuti vellet, præcluso omni effugio castus Juvenis in ahenum aquâ fervente plenû insiluit, mori malens, quam peccato tali contaminari. Et meritò nihil enim scdidiùs ipso peccato, nihil abominabiliùs eo. B. Catharina de Genua dicere solebat, si possibile foret hominem divinâ destitutum gratiâ, ac peccatis impiatum videre, tunc hujus intuitu quilibet mori deberet: imò non solum per aspectum, sed si quis sciret talem hominẽ è longinqua regione ad se venturum, tunc tale nun-

Plutarch. in vita Demetrii.

in ejus vita c. 24.

tiam ei eriperet vitam, quia similis homo est tanta abominatio, ut neque verbis ullis sat explicari possit. Etenim nullus bufo tam execrabilis, nullus serpens tam venenosus, nullum cadaver tam purulentum, nulla cloaca tam fæda & sordida, uno verbo, nihil in mundo tam abominandum, ut est vel minimum peccatum mortale. Hinc si omne venenum, omnis sanies, omnes sordes & spurcitia, omnis feotor & abominatio, & quidquid demum in orbe terrarum homini execrationem & nauseam movere posset, si hæc cuncta in uno bufone coacervata forent, & talis bufo unico lethifero peccato compararetur, tunc nequaquam execrabilis, sed pulcher omnino & formosus appareret, siquidem unicum peccatum est deformius, quam omne illud, quod abominabile imaginari posset. Hinc concludit quidam Author, sic dicens: Si quis peccati minimi gravitatem perfecte cognosceret, & Dei simul offensa Majestatem & bonitatem, non esset vena in toto corpore, quæ non aperiretur per vehementiam doloris: toto corpore sudaret sanguinem, erigerentur ei præ horrore omnes in vertice capilli, deficerent eum vires, funderetur ei cor, rumpetur pectus, frangerentur costæ, denique impatiens doloris, præ ejus immensitate repente corrueret in terram exanimis, & moreretur.

Stanihurst.  
in hist. Xti  
Patien. c. 1.  
§. II.

Bacz. t. 3. in  
Evang. l. 18.  
c. 8. §. 37.

Surius in  
Vita.

a. Mach. 6.

Surius in  
Vita.

Vita I. g. c. 9

6. Quis ergo nunc verbis satis explicet peccati malitiam, horrorem, gravitatemque? Hinc Christus cum omnes alias injurias, & etiam suspicionem dæmonii inhabitantis patientissimè tulisset, in peccati tamen suspitione tollenda acerrimus fuit, ideoque dixit: Quis ex vobis me arguet de peccato? ejus rationem reddens Bacza, ait: quia non sic horribile est viro justo dæmonium habere, ac peccatum, hoc omni dæmonio horribilius est, & multò magis vitandum. Quare non immeritò D. Chrysostomus nihil præter peccatum timebat; unde Eudoxiæ Imperatrici insidias adversus ipsum molienti, eò quod cupiditatibus ejus iniquis sese opponeret, quidam ex Aulicis illius dixit: Frustra tentas omnia: Chrysostomus enim nihil præter peccatum timeret. Hinc etiam Eleazarus Judæus nonagenarius, Scribarum Princeps, ad carnes porcinas contra legem comedendas compulsus, respondit, malle se permitti in infernum, quam Regis mandato obedire, minus ducens inferni supplicia, quam peccati gravitatem. Hujus sententiæ etiam erat S. Anselmus Episcopus Cantuariensis, dicere solitus; Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò unum eorum immergi deberem, prius infernum, quam peccatum appetere: Mallem enim purus à peccato gehennam intrare, quam peccato pollutus cælorum regna tenere. Agnovit etiam benè peccati malitiam S. Ignatius Lojola. Hinc cum quondam ei objiceretur, operam in curandis meretricibus frustraneam esse, eò quod illæ mox ad vomitum rediturae essent, respondit ille: Minimè sanè, sed si omnibus vitæ meæ curis atque laboribus id possim efficere, ut vel unam noctem aliqua istarum peccato abstinere velit, omnes ego quidem nervos contendam, ut vel exiguo illo tempore Deus non offendatur.

7. Si hæc nunc dicta ad declinandum peccatum nondum sufficiant, tunc saltem

nos ad hoc fugiendum movere deberet, quia videlicet gravissimum poenæ æternæ reatum adducit: si ergo nemo vel integrum etiam regnum acciperet, & per unicum diem in fornace ardentis jaceret, & torqueretur: quanta infania erit, æternum sævissimis & inexplicabilibus inferni tormentis velle cruciari, ut levissima & momentanea voluptate quis fruatur. Studeat ergo quisque cane pejus & angue peccatum declinare, ne sibi contingat, quod sceleratæ Babyloni factum, de qua S. Joannes in Apocalypsi: *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem, quasi molarem magnum, & misit in mare (tartareum illud) dicens: Hoc impetu mittetur Babylon, civitas illa magna (scilicet peccator) & ultra non invenietur (nisi in inferno) ubi mors (scilicet morte) æterna depascet te, & fumus tuus (ex te ipso ardente) ascendet in sæcula sæculorum. Lapis molaris est peccatum mortale, Angelus est executor Justitiæ divinæ, Mare in fernus: anima Babylon, quæ instar lapidis molaris, suis aggravata peccatis, mittetur in abyssum Erebi, ubi sine fine, velut titio semper ardens & nunquam conflagrans, in incendiis æternis fumabit. Hæc de peccato mortali dixisse sufficiat. Reliquum est, ut de peccato veniali pauca addamus.*

C. 18.

8. Sciendum igitur, quod peccatum veniale sit summum malum post peccatum mortale, noceatque magis animæ, quam omnes morbi simul sumpti corpori nocere solent. Hinc S. Theresia dicebat: Faxit Deus, ut timeamus id, quod debemus timere, & intelligamus, majus malum posse advenire ab uno peccato veniali, quam à toto simul inferno, cum hæc sit ipsissima veritas. Ulterius gravitatem peccati venialis quidam Author describit in hæc verba. Actum erat de homine, reus erat mortis, filius gehennæ; licet omnis mundi potentia, & fortitudo simul collecta fuisset: licet oblata omnes bestie terræ in holocausta & victimas Deo fuissent: licet omnes homines, quidquid habent, in venis sanguinis effudissent: licet omnes Angeli incarnati fuissent, & singuli millies mortui pro satisfactione unius etiam minimi peccati venialis: licet singuli illorum plus gratiæ & Sanctimoniam habuissent, quam omnes Sancti simul, qui fuerunt, sunt & erunt, non potuissent (sepelitis Christi meritis) Deum nobis offensum propitiare pro unico levissimo delicto, nec promereri nobis vel guttulam aquæ, quam à Lazaro flagitabat Epulo. S. Theresia, cum Christus Judex in pulcherrima luce se illi spectabilem exhibuisset, & quædam venialia peccata ostendisset, tanto pudore suffusa est, ac eorum aspectu, ut poenas inferni tolerabiliores esse putaret, & unde quaque quæreret, quo se absconderet. Hinc ergo clarè patet, peccatum etsi venialissimum summum malum esse post peccatum mortale, ut merito prius omittere illud homo debeat, quam millies mori, quam cælum & terram permittere in nihilum redigi, quam totum genus humanum damnari: Unde B. Virgo maluisset, Filium suum sine peccato propriis manibus occidere, quam in peccatum etiam minimum consentire. Colligitur præterea hujus peccati gravitas ex poena eidem debita, quia illud poenâ omnibus poenis & doloribus hujus

Vit. c. 25.

Stanihurst.

loc. cit. c. 3.

§. 1.

Vit. c. 40.

mundi simul etiam sumptis graviore punitur; quis autem, si videret iussu Regis Sponsam & Reginam carissimam in ardentem fornacem coniectam, iudicaret, leve ab illa crimen commissum? Quis igitur non sataget, ne voluntariè peccatum etsi levissimum committat? Si enim hoc non foret tantum malum, profectò misericors Deus Justitiæ suæ enssem non sic vibraret super illud, nec tantâ pœnâ in futuro aut in hoc etiam sæculo plecteret. Quod in futuro sæculo gravissime veniale peccatum puniat, constabit multis exemplis, in Sermone de pœnis purgatorii, adducendis. Quod etiam in præsentem ob hoc in charissimos suos servos Deus animadvertat, manifestum argumentum est de Moyse & Aaron, quibus adeò familiariter Deus usus est, ut de Moyse dixerit: *Servus meus Moyses in omni domo mea fidelissimus est: ore ad os loquor ei.* Aaron verò, quem Principem constituit Sacerdotum, legisque interpretem, ac Ministrum elegit omnium mirabilium & prodigiorum, quæ operatus est. Nihilominus tamen Deus ob culpam levissimam indignationem tam vehementem concepit, ut utrumque à terra illa beata arcendum pronuntiârit. Est autem hæc culpa: Patiebatur in deserto populus aquæ penuriam, nec aderat, unde sitim levare posset. Quare Deus suæ pietatis memor cum Moyse ita locutus est: *Tolle virgam & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Cùmque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & iumenta ejus. Ita factum, & tulit Moyses virgam, & dixit congregatæ multitudini ante petram: Audite rebelles & increduli, num de petra hæc vobis aquam poterimus ejicere? Cùmque elevasset Moyses manum percutiens virgâ bis silicem, egressæ sunt aquæ, ita ut populus biberet. Hinc Deus ad Moysem & Aaron conversus sic illos reprehendit: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hæc populos in terram, quam dabo eis. Si ipse Iudex culpam esse non dixisset, an fortè aliquis eam deprehendere potuisset? quamvis tamen esse jam sciamus, vix eam percipere possumus, aut dignoscere. Multorum sunt opiniones, quæ culpam hanc declarant, & cum sit minutissima, quasi lynceis oculis opus est, ut eam investigemus. Unde sepositis plurium sententiis, magis probabilem hinc ponemus, quæ asserit incredulitatem aliquam & dubitationem in Sanctis extitisse, non quod de divina potentia ambigerent, quam noverant absolutum, sed æstimans Moyses duritiam populi & atrocitatem, inter spem & metum trepidus hærebat, an impedimentum non esset, unde Deus tale beneficium negaret: atque ita dubius dixit Israël: Audite rebelles & increduli, num ex petra hæc aquam vobis poterimus elicere? Ita S. P. Augustinus & Isidorus in Glossa ordinaria. Et ob hoc peccatum veniale etsi levissimum ipsis Deus in tantum est indignatus, ut nec Moyses efficaci suâ oratione, quâ toties populo veniam impetrârat, pro se Dominum potuerit flectere. Nam cum regionem illam beatam ac fertilem specularetur, petiit enixè sibi indulgeri, ut omnem terram trans Jordanem videre posset. Sed iratus est Dominus illi, nec exaudivit eum,

Num. 12.

Num. 20.

S. P. Aug.  
in quæst.  
Vet. Test.

eum, sed dixit ei: *Sufficit tibi, nequaquam ultra loquaris de hac re ad me.* Hoc Deut. 3. exemplo comprobatur, quanta sit Dei offensa vel minimum peccatum veniale. Hinc etiam David quia populum suum numerari iussit (in quo eum non nisi venialiter peccasse plerique Authores putant) pestilentiam, quæ 70000. hominum abstulit, castigatus est. Porro si Deus in suos intimos amicos ita animadvertat, quis dicet peccatum veniale esse rem levem, nec adeo multum curandam? Alphonsus Rodriguez è Societate JESU Laicus vitæ Sanctimoniam inclutus, cum eum S. Franciscus cum Christo apparens quæreret, cur fletet? respondit: Cur non fleam, perspectam habens gravitatem peccatorum meorum, quandoquidem unum peccatum veniale contra Deum commissum meretur, ut totâ vitâ defleatur. Cæterum tametsi venialia animam non separent à Deo, attamen ea, si non diligenti studio evitare conemur, magno periculo ad ipsum mortale nos subjiciunt. Monet proinde S. P. Augustinus: Nolite, inquit, contemnere venialia, quæ minima sunt, sed timete, quia plura; plerumque enim bestiæ minutæ multæ necant: nunquid minutissima sunt grana arenæ? Sed si arena amplius in navimittatur, mergit illam, ut pereat. Quam minutæ guttæ pluvie, nonne flumina implent, & domos dejiciunt? Timenda est ergo ruina multitudinis etsi non magnitudinis. Ita S. P. Ex his ergo frater chare haud dubiè intelliges, quanta injuria Deo irrogetur per peccatum lethale, & quanta etiam per veniale. Quare oclius veniam de commissis à te peccatis petiturus Deum accedes, proponesque imposterum te millies moriturum, quam vel levissimum peccatum scienter commissurum. Vale.

2. Reg. 14.

v. 15.

Lanciz o-

pus cul. 16.

n. 269.

De 10.

Chordis.

## S E R M O

DE

## Timore DEI.

*Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.*

Eccl. 27. v. 4.

1. **T**Imor Domini definitur, quod sit, quâ quis Deum offendere timet. Ejus naturam explicans, S. Tobias Filio dixit: *Omnibus diebus vita tua in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando peccato consentias, & præmittas præcepta Domini Dei nostri.* Dividitur autem Timor in servilem, Mercenarium, & Filialem. Servilis est, quo quis Deum formidine poenæ ab eo infligendæ offendere timet, de quo S. David locutus est, dum oravit: *Confige timore tuo carnes meas, à judicii enim tuis timui.* Mercenarius est, quo quis spe præmii & mercedis à Deo promissæ, ab offensa Dei abstinet, de quo idem S. Propheta confessus est, se ab illo ad mandata Dei servanda impulsum esse: *Inclinavi cor*

Tobia 4.

v. 6.

Psal. 118.

v. 120.